BARTHOLOMAEUS DE MONTAGNANA

Salzburg, 1471 Seite 96v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek





se ad varias figuras corporis
et loci differentias. Contingit
enim quandoque egrum non posse con-
uenienter anhelare nisi se
appodiet super dextro latere, et
est quandoque propter frigiditatem in-
tensam aut propter opilacionem
a materia multa frigida uel grossa,
aut propter apostema in
musculis costalibus et inferioribus
et superioribus et nesopleure
membra anhelitus compressa
sunt. Si ergo eger super eodem
iaceat latere grauantur illa
membra adeo quod anhelito non
seruiant conuenienter. Et quandoque
suffocati moriuntur egri ex de-
cubitu tali. Cum ergo reuol-
uitur ad latus oppositum alle-
uiatur anhelitus quia remouetur
complexio membrorum. Ex quo ap-
paret quod hoc est preparatio an-
helitus dextri respectu sinis-
tri. Unde et concluditur quod cum
alleuiatio fit in anhelitu ex
decubitu super vna parte et econtra.
Similiter non raro contingit
egrum non conuenienter anheli-
tum perficere nisi totum corpus
et maxime pectus et collum eri-
gat et figura recta situetur.
Et hoc quidem contingit quando
nocumentum et eius causa in-
ueniuntur in omni parte pectoris
multiplicata, tunc enim si cor-
pus erigatur anhelitus alle-
uiatur eo quia nulla materia
comprimere comprimere potest membra
anhelitus a dextro uel sinistro
anteriori uel posteriori situ re-
manet ergo canna pulmonis
et alia membra erecta per
quorum rectitudinem aer vberius
ingredi potest et vapores abinde
ad extra conuenientius expelli.
Aliis enim partibus semper vberius
aer ingreditur et celerius per
concauitatem rectam quam per in-

curuatam, et ita etiam fumosi-
tates et aer per eandem lineam
rectam uel concauitatem celerius et
liberius expelluntur quam per in-
curuationem et hec illa nocu-
menta anhelitus species est quam
greci orthomiam appellauerunt
et cadit a significato termini
orthos enim apud grecos rectum
uel rectitudinem importat. Hec
est illa nocumenti anhelitus
species qua molestatur. Gene-
rosus vir philippus de Sca-
laribus. Hic enim anhelitum
suum conuenienter expellere non
potest nisi ipse erigat se sedendo
aut stando. Est autem iterum 3o
considerandum quod hec nocumenta
anhelitus quecumque dicta proueni-
unt quandoque a mala complexione
partium pectoris per essentiam in eis
quandoque vero per colligantiam aliarum
partium. Primo quidem capitis cum
diluitur ab eo materia in membris
anhelitus recepta. 2o vero et
frequenter per colligantiam stomachi
cum ventositates et materie in
eo multiplicate dyaframa com-
primunt. Et similiter de epate et
splene repletis dicendum est quod
maxime de epate cum in eo apos-
temata aut magne opilatio-
nes accidant per quas grauitate
epate nocumentum in anhelitu
contingit propter quod comprimit
dyaflamma ita ut non conuenienter
dyastolet et sistolet. Non curo
autem hic tangere species nocume-
nti anhelitus prouenientes a
matrice nec ab aliis membris
mala complexione simplici uel
materiali nocentibus pectori aut a
ventositate huic euenientibus.
Esset enim materia amplissima
speculatione et diffusa scriptura
indigens. Amplius et quarto

orthomia